C teram Artemisiæ speciem uideat. Fruticosa enim herba est Matricaria, foliis quàm sit Artemisia propriè dicta gracilioribus, floribus tenuioribus, per ambitum albis, (intus enim lutei existũt) grauiter cum uniuersa herba olentibus. Hallucinantur ita- que qui Serapionis interpretem secuti, Dioscoridis Parthenium esse putant, ut suo loco abundè demonstrabimus. Tertia μονόκλωνος, hoc est, unicaulis dicta, simplici caule consurgit, foliis minutim scissis. Caulis in summo floribus luteis & tenuibus abundat. Hæc odoris iucunditate priorem uincit. Quæ sanè descriptio pulchrè her bam Tanacetum appellatam hodie, deliniat, ita ut tertiam esse Artemisiæ speciem nemo dubitare debeat, aut saltẽ iure queat. Tagetes Indica caule exurgit rubescente, ramulis multis brachiato, foliis tenuibus, minutim scissis, & grauiter odoratis, floribus in summo caule luteis, & croci ferè colorem referentibus, elegantia nulli alteri cedentibus.

Parthenium non est Matricaria.

Tanacetum.

LOCVS.

Prima nascitur in aquosis, incultis, asperisq; locis. Altera in hortis, locis siccis & lapidosis. Tertia in aquarum ripis, atque uinearum aggeribus passim prouenit, un de Germanicè appositio uocabulo Reinfarn uocatur. Indica Tagetes non nisi sata prouenit in Germania.

TEMPVS.

Singula genera tria æstate, potissimũ cum uua maturescit, tunc enim abundant floribus, colliguntur. Indica paulò tardius in nostra regione floret.

TEMPERAMENTVM.

Calefaciunt & modicè deficcant, & sunt, quod ad calefactionem attinet, ordinis secundi: quod uero ad resiccationem, aut primi intensi, aut secundi remissi. Sunt etiam modicè tenuium partium.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

D Excalfaciunt & extenuant. Feruefactę prosunt ad insessus muliebres, ducendos menses, secundas, & fœtus. Vteri præclusionem atque inflammationẽ iuuant, lapides frangunt, & urinæ suppressionem tollunt. Herba ipsa imo uentri illita copiosa, menses mouet. Succus eius cũ myrrha subactus & admotus, ex utero elicit quæcunq;, & insessio. Bibitur etiam coma trium drachmarum pondere eorundem ducendorum gratia. Si quis stomacho laborans Artemisiam leptophyllon contuderit probè cum oleo amygdalino, & ueluti malagma confecerit, stomachoq; impo- suerit, sanabitur. Neruorum quoque dolore si quis affectus fuerit, ac succum eius cum oleo rosaceo miscens inunxerit, curabitur.

EX GALENO.

Ad renum calculos mediocriter, & ad uteri fomentationes prosunt.

EX PLINIO.

Artemisia priuatim fœminarum malis medetur. Eandem quoq; secum habentibus, negant nocere mala medicamenta, bestiámue ullam, ne solem quidem. Bibitur & hæc ex uino aduersus opium. Alligata priuatim potens traditur, potáue aduersus ranas. Alligatam qui habet uiator, negatur lassitudinem sentire.

APPENDIX.

Prẹter dictas facultates usu compertum est, flores Tanaceti pueris ex uino uel lacte datos, mirificè ex uentre lumbricos pellere, ideoq; Germanis herba lumbricorũ, ut paulò antè diximus, appell[illegible]st hæc Artemisia [illegible]

APARINE